



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

54

55

DISSERTATIO MORALIS
DE
STATV SERVORVM
SECVNDVM JVS NATVRÆ
L I C I T O,

QVAM
PHILOSOPHORVM LIPSIENSIVM

PERMISSV
DIE XIX. AVGUSTI M DCC XXII.

AD DISPVTA NDVM PROPOVNVT

P R A E S E S


M. JOH. MICHAEL TEVTSCHER,

LIPSIENS.

ET RESPONDENS

CHRISTIANVS JOHANNES FEUSTEL,
GRIMMENS LL. STVDIOS.

L I P S I A E,
LITERIS IMMANVELIS TITIL.



P RÆFAMEN.

§. I.



Uris Romani interpretes Christianos plerosque omnem inter Christianos servitutem in justitia & iniuritatis insimulasse, eamque adeo ex orbe Christiano eliminandam censuisse, immensa illa tot Glossatorum & Commentatorum volumina sat superque testantur. Ipse etiam Speculi Saxonici compilator huic præjudicio maxime deditus *L. 3. art. 42.* in fine, expressis verbis ait: *Nach rechter Wahrheit zu sagen, so hat eigenschaft anfang von gezwang, von gefengnuß, und von unrechter gewalt, die man vor alter in ein unrechte gewonheit geszogen hat, die man nu für recht halten wil.* Neque Glossatoris in hunc textum commentarius ab ipsa textus sententia multum abit. Nam licet Eckiani

ni præjudicii falsitatem proponendum cognoverit, dum
ait: Nu concludirt Herr Ecke alle seine assumpta
und rede, und spricht, das eigenschaft von un-
rechter gewalt seyn aufkommen, und müge mit
Gott nicht gesein. Diese conclusio widerspre-
chen wir, und sprechen, das dis nicht seyn, denn
were es wieder Gott, so het Abraham und Isaac
wieder Gott gethan, den sie hetten eigen. Sanct
Paul het auch wieder Gott gethan, der sprach
zun Christen, die eigen waren, Ir eigen seit zu-
mal unterthan ewern Herren ic. male tamen po-
stea in fine dissensum hunc conciliare studet distin-
guendo inter Jus Naturale & Civile, putans Jure Ci-
vili servitudinem esse justam, Jure autem Naturali ini-
 quam. Ita enim concludit: Dis löse also auf und
sprich, Recht ist zweierley, eins ist natürlich
Recht, und nach dem Recht sind alle Leut frey,
und niemand sol nach diesem Recht des andern
eigen sein. Und von dem Recht spricht Herr Ecke
hie, denn wer iemandt zu eigen hat, der thut sei-
ner natur Gewalt, die in frey haben wolt. Das
ander Recht ist von sagungen, und davon so mö-
gen eigen leut sein, denn die Kaiser die haben das
Recht gesetzt, ic.

§. II.

Sed quanto minus veteribus Jctis, si barba-
riem

riem illorum temporum, & hinc enatum defectum genuinæ doctrinæ moralis recordemur, hic error imputandus est, quippe iis solo fere nomine Juris Naturalis disciplina innotuit: tanto magis mirandum est, in seculo euljoris eruditionis gloria, & præcipue Juris Naturalis inventione & cultu, celebri, obsoletum hujusmodi præjudicium tot aseclas invenire potuisse. Quamvis autem præ cæteris *Illustris THOMASIVS* status herilis & servilis æquitatem naturalem in *Dissertatione de usu practico distinctionis hominum in liberos & servos. Hale anna M. D. CC. XI,* habita docte & solide asseruerit: tanta tamen tam Illustris Viri auctoritas qualibuscumque nostris meditandi moliminiibus calcar potius addidit, quam laboris prorsus frustranei suspicione nos deterruit. Unde quæ Lectoris Benevoli judicio de naturali status servilis æquitate paucis his pagellis subjicimus, ut æqui bonique consulat, est quod obnixe eum rogamus.

DISSERTATIO MORALIS
DE
STATU SERVORUM
JUXTA JUS NATURÆ
LICITO.

§. I.

Status in genere definitionem, quod nempe sit correlatio hominum, in certa aliqua societate viventium, peculiaribus h. e. dictæ societati propriis, juribus ac obligationibus se exserens, ad veram aliquam hominum utilitatem tendens, præses hujus Dissertationis nuperrime suppeditavit & demonstravit, in Dissertatione *de statu subditorum naturali*, sub *Præsidio Excellentissimi Dn. L. JENI-CHII mens. Febr. 1721.* habita: ad quam demonstrationem brevitatis gratia nos hic referimus. Hanc definitionem si applicemus ad statum herilem & servilem, hic status compositus erit correlatio heri & servi, in domestica familia societate viventium, peculiaribus h. e. hero & servo propriis juribus ac obligationibus se exserens. Unde hic status diverso respectu modo herilis seu dominicus, modo servilis appellatur, prout nempe vel a parte domini consideratur, vel a parte servi.

§. II.

Diximus, statum herilem & servilem in dome-
stica

SECUNDUM JUS NATURÆ LICITO. . 7

stica familie societate spectari, eoque ipso ideam servitutis ad servitutem juris privati restringimus. Hinc utut & capti ex hostibus jure gentium sint servi §. 3. 4. *J. de jur. person. l. 4. §. 1. 2. 3. l. 5. §. 1. ff. de stat. homin.* & servi pœnæ, damnati ad opus publicum, servi sint, §. 1. *J. de Cap. deminut.* qui utriusque servi non domestici, sed publici sunt: hi tamen eo ipso ad servitutem juris privati, de qua nobis sermo est, non pertinent. Sunt enim hi servi Reipublicæ, non patris familias: Unde recte GROTIUS distinctionis servitutis in publicam & privatam mentionem injicit, *Lib. II. Cap. V. §. 31. 32.* Utrosque etiam, nempe servos juris publici & privati, accurate secernendos esse, patet ex diversitate jurium, quæ ex diversa utriusque servitutis indole fluunt. Sic v. g. servitus in republica Romana introducta non mère privata erat, sed magna ex parte publica: cum civis unusquisque Romanus non solum ut subditus aut homo privatus, sed certo respectu etiam ut membrum regens, adeoque ut persona publica, confideretur, & hoc adeo respectu potestas & imperium herile pro imperio non mère privato seu domestico, sed ex parte etiam pro publico habendum esset. Hinc potestas herilis Romanorum plane involvebat jus vita & necis, tanquam summum civium coimperantium in republica regale, §. 1. *J. de his, qui sui vel alien. jur. sunt. l. 1. §. 1. ff. eod.* Hinc porro cum sublata Majestate Reipublicæ Romanae democratica Imperatorum

8 . . . DE STATU SERVORUM

torum legibus cives Romani subjicerentur , publica illa , quæ quandam utique Majestatis speciem præ se ferebant , jura amiserunt , §. 2. *J. de bis qui sui vel alieni
jur. sunt. l. i. §. 2. l. 2. ff. eod. l. un. C. de emenda.
servor.*

§. III.

Quemadmodum itaque ex dictis patet , per statum herilem & servilem recte intelligi correlacionem inter herum & servum in domestica familiaria societate existentes ; ita jam porro demonstrandum est , quisnam peculiaris hujus societatis sit finis , ex genuinis Juriis naturæ principiis cognoscendus ; nec non quibus mediis finis iste , ex naturalibus æquitatis principiis cognitus , pro indole hujus status obtineri debet . His enim demonstratis definitio vere realis , moralis nempe seu practica , hujus status , fundamenti loco poni facillime poterit : eundenque summo æquitatis naturalis jure licitum esse , ex iisdem principiis sponte fluet .

§. IV.

Primo itaque quod finem servitutis attinet , is manifeste est utilitas domestica seu familiaris heri sive domini , cui ad inserviendum servus ideo potestati domini æquisimè se subjicit , ut alatur potius honeste , quam ut vitam vel misere ducat vel nefarie . Finem hunc principiis socialitatis adeoque primis & simplissimis naturalis æquitatis fundamentis firmiter inniti

ti inde patet, quod, cum permulti in humana societe
te existant, qui se ipsos alere nequeant, hi utique a
ditioribus sint alendi: ast cum officia socialitatis sint
reciproca, ii, qui aluntur a ditioribus, ad his vicissim
inserviendum obligati sunt, si possint. Unde æquita
ti non repugnat, eos, qui pauperibus alimenta præ
stant, ab his vicissim officia sibi stipulari. Saltem
enim iis ad eleemosynas gratis subministrandas tene
mur, qui ad officia socialitatis reciproca inhabiles sunt,
nec adeo mendicis promiscue omnibus.

§. V.

Hoc ipsum sicut dubio carere videtur: ita jam
porro expendendum est, an eodem æquitatis jure sti
pulari sibi possint officia servilia domestica? ubi no
tandum, quod per officia servilia domestica intelliga
mus officia, quæ patrifamilias ad ipsius nutum & im
perium, sub poena castigationis domesticæ, præstan
tur in ipsius utilitatem domesticam.

§. VI.

Ad hujus questionis decisionem antequam ac
cedamus, ex allata officiorum servilium definitione
explicandum esse videtur, quomodo differant officia
servilia a liberis civium jure servitutis sibi invicem
non obstrictorum officiis. Nempe primo officia
servilia præstantur ad nutum & imperium domini:

B

contra

contra officia civium libera præstantur ex nutu & iudicio utriusque, & petentis & obligati. Hinc in statu herili dominus jus suum exercet jubendo, servus obstrictus domino ad obedientiam est. Contra in statu civium libero neuter jure imperandi obedientiam ab altero exigere potest, sed quicquid officiorum alteri alteri præstat, par pari præstat, libero utriusque iudicio, ita, ut sicut petens ex suo iudicio jus aliquod prætendere possit; ita eodem iure alter ex suo iudicio de veritate illius juris suæque obligationis statuere liberrime queat. Hinc & est, quod liber homo circa singula officia, ab altero sibi stipulanda, novo ejus consensu opus habeat: cum contra servus imperio seu potestati herili subjectus ad officia indeterminata, solo domini iussu determinanda, obligatus sit.

§. VII.

Hujusmodi itaque officia, svadente utique æquitate naturali, herum sibi stipulari posse, optime probavit PUFENDORF. *de J. N. & G. Lib. 6. Cap. 3. §. 2.* ex diversâ hominum indole, & inde resultante diversa ad negotia privata & œconomica aptitudine, cuius intuitu alius ad imperandum seu dirigendum, aliis ad parendum magis est idoneus. Quidam, inquit, ea sunt mentis perspicacia, ut per se cernant, quid rebus suis expedit; & ea alacritate, ut, quod sibi est utile, proprio impulsu citra aliorum coactionem suscipiant. Aliis contra ingenium est ita hebes, ut quid ex usu sit, citra

citram aliorum ductum parum prospiciant, magisque sint idonei ad talia, quæ viribus corporis constant, obeunda, quam ad quæ subtilitas aliqua mentis requiritur: tanta insuper socordia, ut nisi coacti recte non faciant, nec parta commode servare aut dispensare norint; quorum posteriores natura servos ARISTOTELLES vocat, quia ejusmodi hominibus, quos tali ingenio natura finxit, commodius est, aliis servire, quam proprio Marte rem gerere. Quo spectat, quod AGESILAUS dixit: *τές τὴν Ασίαν κατοικεῖται ἐλευθέροις μὲν κακὸις δέλταις δὲ ἀγαθὸις εἶναι.* i. e. *Asiam incolentes liberos quidem pravos, servos autem bonos esse.* Plutarch. *Apophthib. Lacon.* Quemadmodum itaque generalis socialitatis ratio exigit, ut unusquisque societati humanæ inserviat, pro indole sua: ita eos, quos indole servili natura finxit, pro ratione sortis suæ operis servilibus se addicere, & servitutis causa in familiam recipi, non solum nihil iniquitatis habet, sed & summa æquitatis ratione suadendum est.

§. VIII.

Nec est quod existimes, statum illum, de quo hic agimus, famulorum domesticorum non esse servitutem propriæ dictam: quale quid argutantur *ii*, qui, ex opinione præconcepta, solam, quæ in prisca Republica Romanorum erat, servitutem, servitutem propriæ dictam, solaque mancipia servos pro-

prie dictos autumant. Initio enim animi præjudicis insigniter præoccupati indicium est, universales Jurisprudentiaz naturalis notiones ad particularia unus cujusdam reipublicaz instituta restringere, & ex hujus usu speciali notionum ac terminorum, omnibus gentibus communium, proprietatem aut impro prietatem metiri. Unde sicut haud parum ineptum esset, statuere v.g. uxores Germanorum nonnisi im proprie esse uxores, & parentes nostros ac liberos improprie saltem tales vocari; quia in deles rei uxoria Romanaz & patriaz potestatis Romanaz, multum differant a nostris circa hos status institutis: ita que parum sapientiaz in eorum effato invenias, qui ex simili fundamento servos, de quibus hic sermo nobis est, nonnisi improprie servos dici sibi persuadent vid. THOMAS. de usu pract. distinct. hom. in liberos & servos. Cap. 2. §. 2. Deinde servos hos domesticos propriissime vocari servos, patet maxime exinde, quod definitio officiorum servilium, non quidem ad unius reipublicaz Romanaz, sed ad Jurisprudentiaz universalis principia concepta, §. 5. 6., personis his, quas servos nos vocamus, & vocare usu linguis nostraz solemus, propriissime competit; Cui cunque autem competit definitio, eidem & competit definitum.

§. IX.

Etenim officia domestica, quæ patrifamilias a fa-

a famulo, jure subjectionis domesticæ, ad ipsius nutum & imperium, sub pena castigationis domesticæ, in ipsius heri utilitatem præstantur, vere & proprie operas serviles vocari, juxta usum linguarum modernarum communem, summorum & eruditissimorum, qui Jus Naturæ ac Gentium docuerunt, virorum autoritas & consensus comprobat: quod sane momentum in docendo recto verborum usu non spernendum esse, nemo credo negabit. Ita PUFENDORF de J. N. & G. Lib. 6. Cap. 3. §. 10. Liberi soli civitati legibusque generalibus parere debent, nec poenam, nisi quæ in illis definitur, metuunt. Servi autem & concivi serviunt, ejusque iussis peculiari bus poenæque & coercitioni privata sunt obnoxii, ejusdemque morositatem ferre coguntur; quæ eo molestior est, quo frequentius & proprius servis cum domino versandum. Et HOBBESIUS de Cive, cap. 8. §. 1. Qui mandatis, inquit, cujusquam obedire ante obligatur, quam quid imperaturus sit, sciat, tenetur ad omnia mandata simpliciter & sine restrictione, (nisi quæ repugnant legibus divinis.) Jam qui sic tenetur, *servus*, is cui tenetur, *dominus* appellatur. Evidem non negandum, aliam servitudinem esse alia magis absolutam magisque perfectam, idque modo pro diversis diversarum rerum publicarum statutis, modo pro diversitate pactionum, quibus servitus initur. Sic servitus alia est mancipiorum, seu, uti HOBBESIUS vocat, ergastulorum (ger-

manice *Sclaven*) qui serviunt intra ergastula, vel compedibus vincti, non pacto, sed ne vapulent: alia contra pactitia, eorum nempe, qui fide data serviunt, v. HOBBS *loc. cit.* PUFENDORF. I. c. §. 6. Porro servitus pactitia alia potest esse perpetua, quæ perpetuas operas debet pro alimentis & aliis, quæ vita necessitas exigit: alia in diem, aut sub conditione, aut ad res certas, qualis est septem annorum servitus apud Hebreos, glebæ adscriptorum, mercenariorum &c. quarum priorem perfectam, posteriorem inperfectam vocat GROTIUS *Liber. 2. cap. 5. §. 27. 30.* At quæ gradu differunt, & circumstantiarum externarum in diversis speciebus conspicuarum varietate aut perfectione, non ideo differunt essentia generica: nec ideo genus alterutri speciei, utut perfectiori, proprie, alteri improprie competit. Quemadmodum nemo dixerit, animantia bruta improprie vocari animantia, quia ea homine imperfectiora animalia sunt: Pari sane ratione, nec servitutem hodiernam mercenariam, aliquamque, ideo, quia Romana erat pinguior, impropriam vocare licet.

§. X.

Porro, cum officia servilia a liberorum hominum officiis eo etiam differant, quod ad illa servus sub pena castigationis domesticæ teneatur (§. 5.) vindendum, an & hoc requisitum æquitatis naturalis fundamentis conforme sit? quod utique affirmandum

puta-

putamus: quandoquidem id ex jure imperii domino competentis fluit, utpote quod sine hac coactio-
nis externæ specie effectu destitueretur. Quantum-
vis enim objicere possis, jus poenæ infligendæ in gene-
re magistratui competere, hinc servum inobedientiæ
reum magistratui puniendum tradi ab hero debere:
nec tamen rerum domesticarum indoles, nec status
civilis poenarumque civilum ratio, hoc servorum in-
obedientiam & pertinaciæ coercendi medium ad-
mittit. Status enim civilis indolem si spectes, non
omnia, sed ea saltem delicta a magistratu Civili co-
erceri poenis possunt, quæ & civibus noxia & pro-
cessu judiciario emendabilia sunt. Posteritis requisi-
tum hoc casu cessat, ob litium domesticarum inter
herum & servum infinitam multitudinem, præci-
pue si præterea consideres singularum exilitatem.
Nam si e. g. unusquisque in civitate herus ancillam,
quotiescumque conclave non recte quisquiliis purga-
verit, coram magistratu convenire deberet, novæ fâ-
ne & peculiares curiæ, novis ancillarum Prætori-
bus ornatæ, constituerentur necesse esset, quæ ta-
men omnes ad tantam de lana caprina domestica li-
tigantium turbam capiendam haud sufficerent.

§. XI.

Quodsi porro objicias, herum, si privato ejus
arbitrio jus poenæ domesticis servum coercendi re-
lin-

linqueretur, facile lādere servum posse, & ob id civili prudentiæ repugnare, jus illud dominis relinquere, Respondeo: quidni etiam civili prudentiæ repugnat, jus castigandi liberos & discipulos immorigeros eidem privato patris familias vel ludimagistri judicio relinquere, cum virgarum baculique terror lādere innocentiam æque facile possit? sane tunc demum, si herus servum vere lādat, & lāsio sit alicuius momenti, lāsus adire potest judicem, vid. §. ult. *J. de bis qui sui. vel alien. jur. sunt.* Si enim lāsio sit exigua, v. g. verbulo forte duriusculo vel mordente fēfē exferens, ad officium patientiæ servus obligabitur; quippe ad quod & ipse herus erga illum, imo quilibet homo liber, etiam maximo dignitatis statu prædictus in vita civili tenetur. Unde multo minus servorum impatientiæ, qui tanto sustentatio-nis beneficio dominis obstricti sunt, hic nimis favendum est: Unde Apostolus æquissime præcipit, servos obedire debere heris, non solum mitibus, sed etiam severioribus.

§. XII.

Licet itaque jura, lege naturali nobis competen-tia, Princeps in republica imperans, modo limi-tare & restringere, modo plane adimere subditis possit, prout prudentia civilis, ad ultimum salutis reipublicæ finem tendens, illud svadeat: eidem ta-men

men civili prudentiæ consentaneum haud videtur, jus illud castigationis domesticæ lege civili heris adimere, & in magistratum politicum transferre; quemadmodum patrì ratione jus castigationis paternæ, quod parentibus & præceptoribus competit, & juxta castigationem herilem altera castigationis domesticæ species est, admodum inconsulte inter jurisdictionis publicæ ac magistratus politie regalia poni debere censeretur. Primo enim, uti §. 10. jam dictum est, moraliter impossibile est, unamquamque alapam non nisi ex decreto Prætoris infligere, qua forte ignavus nebulo coercendus est, cuius socordia vel petulantia sapissime alia nisi fustis medicina excuti nequit. Deinde translatio illa castigationis domesticæ ad magistratum sine insigni herorum lassione, imo status hujus eversione totali, fieri non potest: cum absentia servi in jus quotidie aliquoties euntis, & inde secuta continua operarum servilium interruptio, rei familiari heri non possit non esse exitialis, vid. RUDIGER. *Instit. Erudit. in Jur. Nat. pag. 522.* *Consecr. g. 5* sqq. *Edit. 1717.* Et tandem quis ferret sumptus in innumeras illas lites serviles expendendos, servi facultates & mercedem facile excedentes. Illud saltē imperio civili denegandum haud est, quod possit lege civili determinare, quo usque castigatio domestica extendi debeat, an ad solas increpationes, an ad verbera, an ad carcerem domesticum, an ad cibi potusque subtractionem? &c.

§. XIII.

Hæc omnia cum ita sint: luce meridiana clarius esse putamus id, quod supra §. 5. ad solidè concinnandam definitionem realem servitutis demonstrandum nobis sumus: scilicet 1. eos, qui ad se alendum sibi non sufficiunt ipsi, non invita naturali æquitate ad officia servilia domestica posse obligari, & patrifamilias summo jure jus imperii domestici in servum competere, (§. 7. sqq.) 2. eidem jus castigationis domesticæ jure meritoque asseri, quod jus ne quidem in statu civili adimi facile & sine insigni rerum familiarium detrimen-
to queat. (§. 10. n.) Unde accuratius servitutem ita definiri posse censemus, quod sit status, quo quis imperio alterius domestico, sub pena castigationis domesticæ subjicitur, postulante id ita sociabilitatis ratione, (§. 4. 5. sqq.) ad utilitatem proxime heri, remote etiam servi domesticam. Is, qui ita alteri subjicitur, servus, & ejus status servitus vocatur; contra is, cui servus subjicitur, dominus seu herus, ejusque status, status herilis vocatur. Statum hunc herilem & statum paternum seu patriam potestatem, domestica patrifamilias potestas tanquam genus species suas sub se comprehendit: sicut pari ratione liberi & servi duæ species sibi invicem contradistinctæ sunt eorum, qui potestati patrifamilias domesticæ subjecti sunt.

§. XIV.

§. XIV.

Quemadmodum itaque hanc definitionem demonstratio præcedens quoad omnes, ex quibus constat, partes satis confirmat: ita jam potiora, quæ ex ea fluunt, consectaria erunt deducenda. Et primo quidem sponte sua exinde sequitur, statum servilem inter ipsos etiam Christianos vere existere posse, id est, Christianis competere jus, servum in familiam recipiendi. Fundamentum enim, uti aliorum statuum, ita etiam status servilis, socialitas est, (per §. 4. sqq.) Jam vero socialitas inter omnes gentes, adeoque etiam præcipue inter Christianos valet, hinc & jura ex socialitate fluentia: Ergo status servilis inter ipsos etiam Christianos salva aequitate existere, nec legibus Christianismi in se repugnare potest; præcipue cum ipsis Christianismi legibus socialitas præcipiatur.

§. XV.

Sic statim apparet, solida ratione destitui assertionem eorum, qui dicunt, Christianismum servitutis statum non admittere. Licet enim duas potissimum adducant rationes, quibus hanc opinionem tueri student, nempe 1. Christianos fratres in Christo esse; 2. servitutis jugum & molestias repugnare amori Christiano: prima tamen ratio nihil

C 2 pro-

probat; cum Christianismus non aboleat statum ultimum politicum. Fraternitas enim illa Christiana paritatem innuit in spiritualibus tantum, & in puretate amoris reciproci, non autem paritatem status externi: alias enim eadem ratione, qua concluditur, quia Christiani in Christo sunt fratres, neminem debere esse alterius servum, concludi etiam posset, quia Christiani in Christo sunt frates, neminem debere esse alterius subditum. Altera vero ratio oppido falsa est: amor enim Christianus intuitu mutuorum commodorum & incommodorum non differt ab amore sociali, quem Jus Naturæ præcipit; ergo cum status servitutis intuitu incommodorum, quibuscum servitus conjuncta est, non repugnet amori sociali (per §. 7.) sequitur, quod nec repugnet amori Christiano. Optime hac de re PUFFENDORFIUS, *Habes*, inquit, *servitus personalis* hoc *incommodi*, ut *quis* *perpetuas operas* *debeat*, *pro alimentis*, *&* aliis, *que* *vite necessitas* *exigit*; id quod si accipiatur in terminis naturalibus, citra quorundam dominorum inhumanam sævitiam, aut legum civilium rigorem, nihil habet in se nimiae acerbitas: nam perpetua illa obligatio compensatur perpetua alimentorum certitudine, quam saepe non habent qui diurnas operas locant, defectu conductorum, aut ipsorum socordia non nisi fuisse expellenda. Lib. 6. Cap. 3. §. 10.

§. XVI.

Originem autem error iste, de iniquitate subjectionis servilis inter Christianos, exinde traxit, quod servitutem Romanam non quadrare ad nostros cives cernerent. Hoc ipsum enim quamvis verissimum sit: fallaciam tamen causæ commiserunt in indagatione rationis & fundamenti illius veritatis. Servitutem enim Romanam ad statum Germanorum non quadrare, causa non est, quod Germani sunt Christiani. Nam & servitutem du riorem, Romanæ non multum absimilem Apostolus inter Christianos comprobavit, dum ait: *Estate, o servi, subjecti in omni timore heris, non tantum bonis & aquis, sed etiam duris. 1. Petr. II. v. 18.* *Obedite, o servi, dominis cum timore & tremore. Ephes. VI. v. 5.* Quæ enim tempore Apostolorum vigebat servitus inter Judæos, gentesque vicinas, dura sane satis erat. Sed potius ea hujus rei ratio est, quia nostri patresfamilias non sunt patresfamil. Romani, quippe qui majestate inter singulos cives certo modo æqualiter distributa gaudebant. Longe enim alia erat conditio civium Romanorum, quam Germanorum, cum jus civitatis Romanæ involveret coimperium: Unde non mirandum, etiam jura Romanorum patrumfamilias non quadrare ad patresfamilias Germanos.

§. XVII.

Diximus porro §. 13. servitutem Jure Naturæ esse statum, eoque ipso statim intelligimus, servos Jure Naturæ non habendos esse pro nullis. Cum enim in confessio sit, omnem statum certis juribus ac obligationibus propriis gaudere, eos autem, quibus peculiaria jura peculiaresque obligationes competunt, personas esse, (persona enim nihil aliud est, quam homo consideratus cum statu suo, h. e. cum juribus & obligationibus sibi propriis,) sequitur, servos Jure Naturæ non habendos esse pro nullis. Optime itaque ARISTOTELES Nicomach. Lib. 8. c. 11. *Erga servum, qua homo est, amicitia est: quippe unicuique homini jus quoddam esse videtur erga unumquemque, qui cum ipso legis ac fœderis particeps esse potest;* Et amicitia igitur erit, quatenus homo est. Et SENECA, de Clement. L. 2. c. 18. *Et in mancípio cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura.* Cum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune jus vetet. Vid. etiam omnino Ejusdem Epist. 47. Contra vero, cur Romani servos habuerint pro nullis? ratio sane hæc erat, quod recte putabant, servos capite, i. e. statu democratici imperii particeps destitutos esse, vid. §. 4. J. de cap. deminut. Unde sensus dicti Romanorum asserti hic erat, quod servi non habendi sunt pro

pro civibus Romanis; sive, quod in civium Romanorum censu pro nullis sint habendi.

§. XVIII.

Equidem quidam ex nostris, ex præjudicio ha-
ctenus refutato de statu servitutis inter Christianos
illicito, putarunt, eas personas, quæ patribus fami-
lias ex pacto & pro mercede serviunt, non proprie
servos esse, eo ipso quod officia præstent ex pacto
locationis conductionis, adeoque dictas personas lo-
catores potius aut locatrices esse operarum; ex qua
hypothesi nec herus, cui dictæ personæ serviunt
pro mercede, proprie herus vocari posset, sed ope-
rarum conductor. Unde cum obligatio dictarum
personarum domestica fluat ex contractu locationis
conductionis liberrime initio, qui contractus, cum
contrahentes considerentur ut pares, neutiquam in-
volvat subjectionem; concludunt, dictas personas
liberrimo consensu alteri in re familiari inservire,
nec adeo proprie ejus vel servos esse vel ancillas.

§. XIX.

Ait facile responderi ad hanc objectionem
potest, si veram status servilis indolem cum locatio-
nis operarum essentia attente conferas. Status
nempe servilis essentialiter involvit subjectionem sub
impe-

imperium domesticum, ita, ut subjectus ad obedientiam hero reneatur promiscue, quicquid operarum domesticarum licitarum herus ipsi injungat, idque sub poena castigationis domesticæ (per §. 13.) In locatione vero operarum, cum nec imperio nec castigationi locus sit, sed singula officia a locatore praestanda speciali contractu opus habeant; falsum manifeste est, servos mercenarios reservata sibi omnimoda libertate locatores saltem operarum, heroes earundem conductores esse. Servus enim mercenarius imperio heri se subjecit, non etiam operarum locator. Nec obstat, hanc subjectionem fieri pacto antea libero: nam ex eo, quod pacto antea libero libertati renunciat, non sequitur, eum post pactum etiam libertatem retinere. Romæ cum liber homo, major viginti annis, ad pretium participandum pacto liberrimo sese venundari passus esset, §. 4. *J. de Jur. pers.* nemo ideo insulse statuebat, hominem hujusmodi, eo quod liberrime pactum de servitute subeunda iniret, etiam post illud pactum non servum esse, sed hominem liberum, & locatorem operarum. Ergo servitus non ideo desinit esse servitus, quia est ex pacto.

§. XX.

Quæ omnia cum ita fint, unusquisque facile judicabit, querelas illas nostrorum patrum familiias

lias admodum frequentes, de nimia jurium suorum ex naturalis æquitatis principiis ipsis in servos & ancillas competentium restrictione, solido fundamento haud destitui, nec injuste conqueri Illustrem THOMASIUM *Dissert. de usu præcl. distinctionis hominum in liberos & servos, Cap. 2. §. 66.* præjudicia plurimorum legistarum famulos seu servos mercenarios in multis urbibus potestati domesticæ patrum familias fere plane exemisse, ac deteriorem fecisse sæpe conditionem dominorum quam famulorum. Licet enim in bene constituta republi-
ca servis & ancillis merito prospiciendum sit, ne sub herorum sævitia succumbant, aut humana condizione inferiores habeantur: Usque eo tamen illorum favor extendendus haud est, ut sua heris jura in servorum favorem temere adimantur vel imminuantur; sed suum cuique & hero & servo tribuatur.

§. XXI.

Recte itaque GE. BEYERUS *in Delineat. Jur. Civil. ad ff. Tit. de stat. Hom. lit. c. Prestares,* inquit, *quod plures etiam optarunt, servitutem, (perfectam nempe) in orbem Christianum revocari, ob incommoda conductionem famulorum concomitantia, quorum vilissima ingenia exiguo, & sæpe nullo bonefatis & internæ obligationis sensu pollent, ad-*

D eoque

eoque vix ad officium redigi possunt, nisi aliqua coactione, quæ tamen in hac servitutis specie plane exulat; nisi quod extremum dominis superfit remedium, ejectio ex familia, quam nibili effimant, qui alium quotidie herum inveniunt, vel a turpissimo alimenta querendi genere ex mercede meretricia, furtis, latrociniis, mendicatione, non abhorrent: Cujusmodi querelæ fere infinitæ ubique audiuntur. Evidem celeberrimus hic ICTus in verbis adductis asserit, in servitute usu moribusque seculi nostri introducta *omnem coactionem plane exulare*, & in eo plerisque ex nostris ICTis adstipulatur, qui servitutem in nostris Rebuspublicis usitatam non proprie servitutem, sed locationem operarum esse uno fere omnes ore confirmant: Ast hoc ipsum iis, quæ nos de jure coactionis seu castigationis herilis supra demonstravimus, nihil detrahere arbitramur; cum nos de statu servitutis, non qualis apud Germanos aut apud Saxones est, (hoc enim ICTorum prudentia relinquimus,) sed de statu servitutis secundum Jus Naturæ, & adeo de Juribus heri obligationibusque servi naturalibus intelligi velimus.

§. XXII.

Idem fere de inconsulte inter nostros turbata & vere extincta potestate herili judicat PUFENDORFIUS de J. N. & G. Lib. 6. Cap. 3. §. 10. qui, post-

postquam antea æquitatem naturalem potestatis herilis, & servitutis ei correlatae, inde maxime probaverat, quod complurium famulorum socordia non nisi fuste expelli queat, inde concludit, *non absurde quosdam judicare, sublatam apud plerosque Christianorum servitutem inter causas esse, quare tanta colluvies furum, vagabundorum, & validorum mendicorum passim occurrat: cui ramen malo quedam civitates obviam iverint, extrudis publice ergastulis, in quibus ignavis nebulonibus laborandi necessitas afferretur, quam nempe necessitatem ipsis antea tempestive imponere, patribus familias, sublatis mediis ad id necessariis, denegatum erat.*



CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

ERror vulgaris de injustitia & iniuitate status servilis, *prefat.*
E §. 1. Origo hujus erroris, defectus genuinæ doctrinæ inoralis, §. 2.

Status in genere, quid? hujusque applicatio ad statum servilem, & hinc enata *definitio nominalis servitutis*. §. 1. *Conclusiones aliquot nominales*, inde de promptæ, quibus idea servitutis, de qua nobis sermo est, ad servitutem privatam restrinquitur. §. 2. Transitio ad definitionis realis demonstrationem. §. 3. *Finitis servitutis proximus*, utilitas heri domestica, demonstratur ex eo, quod æquum sit, herum a pauperibus, quos alit, officia sibi stipulari reciproca. §. 4. Ast an etiam officia servilia? hæc primo definiuntur. §. 5. Differentia inter officia servilia, & mutua liberorum hominum officia ostenditur. §. 6. Herum summo jure officia servilia stipulari, & servum ad ea obligari posse. §. 7. Respondeatur objectioni eorum, qui statum famulorum domesticorum improprie servitatem dici perhibent. §. 8. 9. Jus castigationis domestica hero competere, nec id ad magistratum politicum transferendum esse, demonstratur. §. 10. Respondeatur objectioni, herum sic facile lacerare posse servum. §. 11. Non confili est jus illud heris temere adimere lege civili lata. §. 12. Sequitur *definitio realis status servilis*. §. 13. Ex ea concluditur *consecutarium I.* Ergo status servilis existit etiam inter Christianos. §. 14. *Conseq. 2.* Ergo errant, qui dicunt, servitutem repugnare Christianismo. §. 15. Origo hujus erroris. §. 16. *Conseq. 3.* Ergo servus Jure Naturali non habendus est pro nullo. §. 17. *Conseq. 4.* Ergo servi domestici non sunt operarum locatores. §. 18. 19. Querelæ optiue fundatæ summorum Virorum de jure herorum domèstico moribus nostrorum temporum contra rationem æquitatis nimis restricto. §. 20. 21. 22.